

DE POESI EPICA

ET

PHARSALIA LUCANI

DISPUTATIO PHILOLOGICA.

Scriptit P. J. LÉLOUP,

Philosophiae Doctor,

iuventuti litteris antiquis erudiendae

in Gymnasio Trevirensi operam navans.

Augustae Trevirorum, typis Hetzrodii.



In scriptis veterum aestimandis qua viri docti ratione utuntur, ea in universum duplex est. Quippe alii, cum de partibus iudicant, totam usquequaque operis summam, cum de scripto leges eius, quo pertinet, generis, cum de scriptore, ea quibus floruit, tempora respiciunt. Alii vero partibus distenti singulis, cohaerentiamque et *unitatem* eorum, quae disserunt, minus curantes, nunquam eo rem perducunt, ut totum operis artificium uno quasi mentis obtutu valeant complecti. Quod vellem ne Burmanno, Lucani editori haud ignobili, in iis, quae in fronte editionis suae disputavit, accidisset. Ibi scilicet vel suo Lucani, quem dictu mirabile! ipse edidit, odio occaecatus, vel philologos illius temporis, philosophorum doctrinae haud ignaros, philosophicae disputationis *) plerumque parum studiosos secutus, omnia mire perturbavit multaque protulit, quae in gymnasiis nostris pueri *naso crispante tremulisque cachinnis* exciperent. Eodem, ad diversum nempe disceptandi genus, refero opinionum dissidium, quo Lucanus nunc arte et ingenio epos duxisse, nunc vix poetae nomine dignus esse creditus est. Quae lis ut dirimeretur, primum omnium carminis epici leges et natura constituendae erant, neglectis iis, quae aut temporum, aut morum, aut denique virorum quorundam propria, haudquaquam generi, tanquam perpetuo manens *character*, inhaerent. Deinde ad eam, quam invenisses, normam Pharsalia ista exigenda erat; quo pacto vel virtutes vel vitia eius apparere oportuisset. Quod cum a nemine, quod sciam, praestitum sit, operae pretium fore duxi, si in disputatione philologica rem haud exigui sane momenti ad liquidum perducere conarer. Cur autem ab Isocraticis chartis, in quibus hactenus occupatus fui, ad Pharsaliam deverterim, nunc iis quorum

*) Eius scilicet quae singula quaeque disiuncta in unum corpus consociare et ad unum principium revocare studet.

argumentum exposui, pervestigandis deditus, in fine huius commentationis docebo.

Quidquid de epica poesi disputaverunt antiqui leve in universum atque mancum est. Haec, *ut ab uno discas omnes*, disserit doctrina et ingenio venerabilis ille Aristoteles Art. poet. cap. V. interpret. Hermann. „Epica poesis, inquit, exceptis tantum metro et oratione eo cum tragoedia *) convenit, quod imitatio est strenuorum. Hoc autem differt ab ea, quod metrum simplex habet et narratione constat; tum etiam longitudine. Illa enim quantum potest uno solis circuitu absolvi laborat, aut paullum excedere; epicum poema autem tempore infinitum est. Eo quoque differt; quanquam initio pariter id in tragoediis faciebant atque in epicis carminibus. Partes autem alias communes habent; alias tragoedia proprias. Quare qui tragoediae virtutes et vitia norit, novit etiam epici carminis. Quae enim epicum carmen habet, sunt in tragoedia; quae autem haec, non omnia in epico carmine.“ Quae quam perturbate dicta sint bene sanus, opinor, nemo non videt. *Exteriorem* enim vel voluntariam carminis legem, metrum scilicet, cum *interiore* vel necessaria, qualis est narratio, parum apte coniungit. **) De narratione vero, rem paullo copiosius tractare debuisset. Etenim in fabulis quoque fit; verum ibi narrant *personae*, dum in epicis *poeta* vel ipse *narrat*, vel narrantem alium *inducit*. De quibus cautius Plato de Republ. libr. III. pag. 122. Bekker: „Existimo tibi (Adimantum nempe compellat) iam nunc aperire, quod in superioribus percipere non valebas, poesim videlicet fabularumque figmenta aut esse omnino per imitationem, quemadmodum ipse dicebas, in tragoedia atque comoedia; aut per enuntiationem poetae proferri,

*) Latina pro Graecis dantibus nobis, oro, venia detur, cum in hoc antiquo, Romano prorsus oppido, Graecae litterarum formae ad excudendos libros desiderentur.

**) Metri varietatem in tragoedia pro primaria et necessaria tragoediae nota Aristotelem habuisse ne credamus, vetat id quod cap. IX. ait historicum et poetam non usu metricae et prosae orationis differre. Ibi haud male addit: „Sed differunt eo, quod alter, (historicus), quae facta sunt, exponit, alter (poeta) qualia possunt fieri.“

quod maxime in dithyrambis inspicitur; aut per utraque confici, ut in heroicis aliisque multis apparet, si modo intelligis.“ Notes tamen heroes in epicis nunquam nisi *narrante* poeta agere (in qua actione Plato imitationem ponit) cum ipsi narrent, a poeta semper *induci*, ita ut et in hoc quoque carmen epicum et tragoedia differant. Iam apparet, quo iure iis, quae laudavi, argumentis innixus, epicam poesim in tragoedia contineri loc. laud. Aristoteles dicat. Acutius accuratiusque de his rebus disputavit Aristotelis, artem poeticam exponentis, interpret Cl. Hermannus in commentatione de tragic. et epic. poes., quanquam non omnia, quae ibi summus philologus disserit, probaverim. *) Verrum nostro, ut dicunt, Marte ad propositum aggrediamur, atque, ut via et ratione disputatio nostra procedat, initia originemque poesis epicae primum attingamus.

Originem, fata, res nobiles a civibus gestas omnis profecto bene constituta civitas describi gaudet. Id autem duplici modo fieri potest, vel ita ut intellectus ea, quae vere gesta sint, nulla re mutata, disponat, vel ut imaginandi facultas fortibus et claris virorum factis, fortitudinem et decus addat. Uni rationi veritas et res (das Reale) alteri idea (das Ideale) lex et norma erit. Quod si apud rudes populos sensus et imaginandi vis, prae ceteris animi facultatibus, ut videtur, viguerunt, gesta virorum prima gentium aetate exornata ac *poetice*, ut uno verbo id, quod volo, signem, res enumeratas esse non mireris. **) Graecorum et Romanorum, ut in his consistamus, res primo poetice tantum expositas et ad fidium sonum cantatas esse satis compertum est. Temporibus illis, quibus sua Homerus vel Homeridae carmina confecerunt, in conviviiis aedi fortium virorum gesta canebant. Satis noti sunt Phemius et Demodocus et loci Homerici, quibus de iis mentio fit. Odyss. I, 325. XXII, 330 (de Phemio) et VIII, 44, 265 et 48 (de Demodoco). Primo quidem loco reditum Graecorum

*) Sic pulchritudinis sensum in lusu mentis, in specie scilicet cogitationis sine cogitatione contineri cum Viro Doctissimo haud protulerim.

***) Ut in describendis praeclaris factis scriptores, ita et in fingendis nobilibus viris artifices, usque ad Alexandri tempora primaria quaedam lineamenta omnibus nota servant, ad cetera suum ingenium sequebantur. Cf. Niebuhr. Hist. Rom. vol. 1. pag. 174. animadv.

navesque eorum a Pallade disiectas, cecinisse dicitur, quem Penelope interpellans: „Multa, inquit, alia mortalium oblectamenta novisti, gesta hominumque deorumque.“ *) Atque Iliad. libr. IX. Ulysses, Diomedes et Phoenix Achillem in tentorio lyra levantem curas et procul proeliis procliorum descriptione recreantem animum reperiunt. Non una quidem tum temporis res, sed totus rerum ordo vel cyclus **) enarrabatur, ita ut in exponendis civium gestis et populorum fatibus, cum totum rerum orbem recitarunt, alter alterum cantor exceperit. Ac videtur, quia hoc argumentum alii iam cecinissent ***) Capharea clades delibata tantum esse Odyss. IV, 499 et IX, 67. Quo ultimo loco ne Caphareum quidem aut Caristum, aut Gyrospetras Ulysses, sua fata narrans, nuncupat. Statim enim, postquam res in Thracia apud Cicones peractas enarravit, ita pergit v. 67.

Navibus autem immisit ventum Boream nubium-coactor Jupiter
 Cum procella ingenti, nubibusque cooperuit
 Terram simul et pontum; ingruit vero e coelo nox.
 Hae quidem deinde ferebantur obliquae; vela autem ipsis
 In tres quatuorque partes discidit vis venti.
 Et haec quidem in naves deposuimus, timentes interitum;
 Ipsas vero festinanter subduximus ad continentem.
 Hic duas noctes et duos dies etc.

*) Unum de *deorum gestis* narrat Demodocus Odyss. VIII, 266 et seqq.

**) Eo cyclus epicus et poetae cyclici, ut alii volunt, cyclii pertinent, de quibus Proclus chrestomatia apud Photium cod. 239. „Terminatur cyclus epicus ex variis poetis perfectus ad excensionem usque Ulyssis in Ithacam, in quo a filio Telegono, ignaro quod pater esset, interficitur.“

***) Ita Phemius ille Homericus *reditum gravem* Achivorum cecinit. Huius vero initium et eventus praecipuus clades Capharea fuit, qua ii Graeci, qui cum Agamemnone remanserant, in diversas partes distracti fuerunt. Ex priscis illis cantibus manasse videntur ea quae apud Quintum Calabr. libr. XII. et in Senecae Agamemnone de Graecorum reditu et de Locri Aiacis fatibus reperiuntur.

Ad cyclum rerum Troianarum HomERICA quoque carmina pertinent, sive unus, sive ut censet WOLFius, quocum multi faciunt, plures Iliadis et Odysseae auctores exstiterunt. Ex ingenti carminum de rebus Troianis copia, ea, quae, virtutibus eminentia, in ore omnium erant, prae aliis collecta servataque esse videntur.

Ut ad Romanos transeam, Cato in *Originibus* heroum priscorum laudes in conviviis ad tibiam cantatos fuisse docebat; Ciceroque, iustus harum rerum aestimator, quam moleste iacturam eorum tulerit, declarat Brut. cap. 18. et seq. et Quaestion. Tuscul. cap. 2. De quo Cl. Niebuhr *Histor. Roman. part. I. pag. 178. edit. prior.* Verum ibi non satis caute vir doctrina pariter et ingenio excellens, temporibus adhuc Catonis carmina illa cantata fuisse affirmat. Cicero enim Brut. l. 1. disertis verbis multis saeculis *ante Catonis aetatem* cantitata esse; ex ipsis *Originibus* refert. Carmina epularia et naenias, confundit Davisius animad. Tuscul. Quaes. cap. 2. In loco enim quem affert de Leg. II, 24. de funebribus ad tibicinem cantari solitis mentio est. Verba Ciceronis sunt: „Honoratorum virorum laudes in concione memorantor, easque etiam cantu ad tibicinem prosequuntor, cui nomen est naeniae.“ Mos ille de tibiae in conviviis cantu sic commemoratur Quintil. I, 8. „Sed veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit.“

Poeticam hanc rerum descriptionem historiae fidei obfuisse atque tum apud Graecos, tum apud Romanos principia historiarum incerta poeticisque decora fabulis fuisse quis miretur? Huc pertinet id, quod Cl. Niebuhrius *Hist. Rom. vol. I. p. 178* ait, Livii narrationem Romanarum rerum usque ad *Regillensem* pugnam, cantuum epicorum, quorum numerus solutus sit, seriem esse. Ea quae ibi ad confirmandam sententiam Vir Doctissimus affert *), exponere longum est atque a proposito nostro alienum, cum ad id, quod volumus satis sit, si

*) Puta varias de origine urbis etc. fabulas, tempora deinde et intervalla rerum, vel non indicata, vel ut indicantur, ordini, quo res vulgo fiunt, parum consentanea, orationem porro frequenter poeticam (ita cum Ennii de hac re fragmento oratio illa libr. II, cap. 10. „Tiberine pater te sancte etc. congruit)

in historia Liviana prioris poeticae descriptionis vestigia, quod manifesto fit, deprehenduntur. Laudatis a me priscis Graecorum et Romanorum historicis carminibus, cantus Caledonum tum, cum a Macphersono editi sunt, spurios, genuinos denique habitos addere liceat. Quanquam enim a Graecis et Romanis cantibus certe horum differt color, in hoc tamen cum iis consentiant, quod in civium fortium laude, religionibus insertis, versantur. Verum in disceptatione nostra progrediamur.

Cum per historicam rerum enarrationem poetica, per scripturam res prompte propagantem recitatio, cui carmen aptius erat, inutilis facta esset, exortum est ex ista cantuum epicorum serie carmen epicum, quod in *una tantum re*, non in *rerum cyclo* versans artis omnino opus factum est. In hoc vero poesis epica mansit, ut animos civium inflammare et ad pulcra facinora studeret incitare. Apud recentiores demum eo interdum delapsa est, ut nil nisi oblectationem appetens, iocularia tractaret. At poetae epici materiam carminum ex variis fontibus, ac primum cantibus epicis propiores, ex fabulosis narrationibus et partibus historiae incertis, deinde, veluti Silius Italicus, Claudianus et Lucanus iste, ex historia certa atque cognita sumpserunt. Utrum ea, quae narret poeta, historiae consentanea sint necne parum interest. Id modo quaeritur eane quae narrentur, ita comparata sint, ut mirationem et sensus generosos in lectorum animis movere queant. Una vero res descripta est, ut mens diversas argumenti partes hoc modo eusynoptous (Arist. art. p. c. XXIII) factas levi contentione consociare ac perspicere valeret. Inde manat ea lex, quain

numero etiam (saturnio) non soluto (ut I, 26 in lege quae a Livio dicitur horrendi carminis: Duumviri perduellionem iudicent. Si a duumviris provocarit etc. a) denique quod hic allatis causis pondus addit, narrationes quas Livius secutus est non ante finem saeculi Romae quarti, quo tempore nullae regii imperii annales exstiterint, conglutinatas: quo pacto res usque ad hanc tempestatem cantu fuisse propagatas cantusque historiae Livianae materiam esse opus sit.

- a) Haec alterius editionis sunt, dum in priore afferuntur illa libr. I, 58. Tace inquit, Lucretia, Sextus Tarquinius sum etc.

unitatis epicae dicunt. At longinquitas temporis diversa erit, prout vel celerius, vel tardius res agentur. Quod ne sic extendas, ut illius spatio pro virorum descriptorum indole rerum copia non respondeat, ne sic contrahas, ut perspicuitati aut veritati angustiae illae noceant. Commode autem id quod, si rei praecipuae pars esset, longiore temporis spatio unitati obstaret, vel poeta vel persona, quam poeta inducit, tanquam prius actum exponet. Ita in *Aeneide* cuius argumentum, unum tantum annum comprehendit, res septem annorum enarrantur. *Odysseae* vero, si cantus sub hoc nomine notos inter carmina illa epica, de quibus nunc agimus, refers, *Odysseae*, inquam, argumentum, insertarum rerum nulla ratione habita, vix unum mensem comprehendet, dum, si res omnes ibi expositas complecteris, decem annorum spatium habebis. His de argumento carminis epici in universum disputatis, *Pharsaliam* nunc adeamus.

Pharsaliae libr. I—IX a Rubicone traiecto scilicet usque ad Caesaris in *Aegyptum* adventum, cyclum quendam, meo iudicio, absolutum efficiunt. Caput enim *Pompeii*, quod ibi *Caesari* affertur, victoriae foedae pignus est, cupitque scire lector quosnam animos *Caesar* prae se ferens triste hoc spectaculum viderit. Quae decimo libro de *Cleopatra*, *Achilla* et *Pothino* subiecta sunt, quorsum tendant et quomodo cum praecedentibus cohaereant, parum constat. Certe a summa nostri carminis, quale hodie est, aliena sunt. Neque absolutus est liber iste decimus, cum *Caesar* optetne an timeat mori dubius narratioque imperfecta relinquatur. Vel angustiae illius, cum versus 545 modo, ceteri 695—1105 habeant, eum non absolutum esse significant. Adde *Catonem*, qui post *Pompeii* necem *Africae* cum copiis advectus per inhospitas regiones ad regem *Iubam* tendebat, medio in itinere a *Lucano* mitti, neque ullam amplius de eo mentionem fieri. Haec argumenta *Pharsaliae* *Lucani* non perfectae confirmantur *Statii* loco *Silv.* II, 7, 100. Verba sunt:

Sic et tu (rabidi nefas Tyranni!)
 Iussus praecipitem subire Lethen,
 Dum pugnas canis, arduaque voce
 Das solatia grandibus sepulchris,
 O dirum scelus, o scelus! tacebis.

Haec nonnullos tumultus inter Philologos moverunt, quaerentes quid tandem Lucanus sibi proposuisset. Quod censet Iacobsius in scripto: *Nachträge zu Sulzer's Theorie* Tom. VII. part. 2. pag. 347. in animo Lucanum habuisse „ut caede Caesaris triumphantem denique libertatem caneret“ primis verbis: *iusque datum sceleri* satis superque refellitur. Adde id, quod Figulus, astrologus I, 668 portendit.

Multos exhibit in annos

Hic furor; et superos quid prodest poscere finem?
 Cum domino pax ista venit. Duc, Roma, malorum
 Continuum seriem; clademque in tempora multa
 Extrahe, civili tantum iam libera bello.

At qui, ut Weberus Prolus. in Lucan. Pharsal. p. 8. libertatis perniciem in pugna ad Philippos confectam descripturum eum fuisse sentiunt, satis ne ii *unitatis* argumenti fuerunt memores, dum rem in primis libris a Caesare gestam in ultimis Augusto gerendam demandant. Potuitne porro poeta rem, quae septem annos complectitur 705—712 a. U. ita descripsisse, ut non nimia factorum moles lectoris aciei offerretur, iis, quae ad perspicuam rei expositionem pertinent, servatis. Denique, id quod senatus ipse et populus scivit, scelusne dici potuit? Caesar Rubiconem traiciendo, legibus ac senatui iniuriam, patriae vim intulit; Augustus ad Philippos bellans, ipsius senatus dux, populo instigante, Caesaris percussoribus instat. Quomodo cum his verba initii cohaerent: *ius datum sceleri canimus* *)? Nihil aliud mea sententia, si sibi

*) Senatum ipse quoque Caesar convocavit, sed vi tantum cessit senatorum, qui Romae aderant, exiguus numerus. Deinde cum de legatis ad Pompeium mittendis cum Caesare consensissent, nemo repertus, qui id negotium susciperet. Cf. Caesar Bell. Civil. Cap. XXXII. et seq. Magna vero senatorum copia in Pompeii castris erat, quibus rerum summam Pompeio deferri unanimiter placuit. Cf. Pharsal. V. 47 et seq. De senatoribus in Epiro collectis epos nostrum cum historia congruit. Ita enim Dio Cassius XLI, 18. interpretat. Reimarian. Edit. „Cum eo (Cicerone) alii quidam senatores ad Pompeium profecti sunt, quod causam ille justiore[m] tueri et bello superior futurus

constare voluit, Noster canere poterat quam viros qui a partibus Pompeii steterant a Caesare ipso subactos. Ac fortasse, proelio ad Mundam neglecto, in Catone illo, cuius copiae victae, animus indevictus fuit, constitisset. Quid enim excelsius, quid carmini magnifice concludendo aptius, quam viri spectaculum, qui post Phaedonem Platonis pridie vesperi lectum, cum per totam noctem placide quiesset, gladio se transfodit, et de quo gravibus verbis Horatius Carmin. II., 1, 23.

*Cuncta terrarum subacta,
Praeter atrocem animum Catonis.*

Et Noster I, 128.

Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni.

His de Pharsaliae materia statutis, quinam eius finis fuerit iam videamus.

Illud quidem, quod adhuc exstat, carmen consideranti apparet Lucano in Pharsalia fuisse propositum, *potentius quam legum imperium hominis iterum factum canere*. Caesar *hominis et dominatoris*, Pompeius *legum* vices agit. Senatus, auctore Scipione decreverat, ut ante certam diem Caesar exercitum dimitteret; si non faceret, eum patriae hostem habendum esse Caesar. Bell. Civil. cap. 2; intercessionisque tribunorum nulla ratione habita senatusconsultum illud, quod, ut ait Caesar, in *desperatione omnium salutis* edere solebant, perscribunt: „Dent operam consules, praetores, tribuni plebis, quique consulares sunt ad urbem, ne quid res publica detrimenti capiat.“ Bell. Civil. cap. 5. Post quae Caesar Rubicone trajecto Ariminum se contulit. Bell. civil. 8. Sueton. Jul. Caes. cap. 33. Pompeius consul contra Caesarem hostem patriae bellum gessit. A partibus igitur senatus et legum steterat, neque quid in sinu, regnum fortasse affectans, sensisset, huc attinebat inquirere. Quare belle de Pompeiano exercitu II., 531.

esse videbatur. Iusserant enim et consules ante suum discessum et ipse Pompeius ex proconsulari imperio ut omnes se Thessalonicam sequerentur etc. quas ob causas eis sese maior pars senatorum equitumque alii e vestigio, alii postmodum coniunxerunt.“

O scelerum ultores melioraque signa secuti,
O vere Romana manus, quibus arma senatus
Non privata dedit, votis deprecate pugnam.

Et de patribus in Epiro collectis. v. 12.

Nam quis castra vocet tot strictas iure secures,
Tot faces? Docuit populos venerabilis ordo
Non Magni partes, sed Magnum in partibus esse.

Ibidem v. 47.

Laeto nomen (Pompeii) clamore senatus
Excipit, et Magno fatum patriaeque suumque
Imposuit.

Scelus autem impetus Caesaris in fines Romanos fuit, vereque carminis initio Pharsaliae scriptor: *ius datum sceleri canimus*. Mire errat Burmannus in praefat. dum profert: " Sed animadvertendum puto, statim poetam nimium partium Pompeianarum studium ostendere, et quum ipse *commune nefas* in utraque parte agnoscat, causam tamen Caesaris, quam ipse *Diis placuisse* postea dicit, *scelus* vocare: quo titulo centies Caesarem et ejus partes sequentes infamat, etiam ubi virtutem insignem, ut Scaevae lib. VI, quam etiam in hoste laudare debuisset, memorare et augere solet." Non videt vir optimus verbis: *commune nefas* (*nefas* enim hic solita significatione, non ea quam hic, II, 4. et V, 204. vult Ieverus Spec. select. observ. *) *exitium* sumpserim) bellum civile, quo civis cum cive, frater cum fratre pugnavit, designari. De quo Dio Cassius histor. Roman. XLI, 51. „Inter se praelio homines gentiles et contubernales quin eadem mensa usos et foederibus iunctos commiserunt.“ (Pompeius et Caesar scilicet); deinde paullo inferius de ducibus divisus et in se mutuo dimicantibus: „Id vinculum consanguinitatis, quo eos natura adstrinxerat **) in-

*) Mirabar Weberum Lucani recentem editorem fuites saepe et inanes Ieveri notas ad unam recepisse. Sed vidi Viro Docto, postquam excusae erant, suum ipsius in hac re consilium minus placuisse.

**) Id praecedentis sententiae verba explicant: „Affinitatem olim contraxerant, eundemque infantem alter ut pater, alter ut avus dilexerant.“

exsatiabili dominandi cupiditate tunc dissolverunt, diruperunt. Quo effectum est, ut Roma de se ipsa ac contra se ipsam simul pugnare ac vincendo vinci cogeretur.“ Quae in disputationis suae fine ad purgandum Caesarem, belli auctorem, Burmannus addit, nihil sunt, nisi verba et voces. *) Neque secum, ut vult Burmannus, pugnat Noster, dum ait I, 128.

Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni.

Dii enim hic sunt numen aeternum, a quo omnis sors manat; facinusque Caesaris non a diis probatum, sed divinitus patratum esse is versus significat. Ac poena Caesari ob dirum factum luenda indicatur VI, 692 et 810. Quo ultimo loco spiritu quodam poetico retractus ex Erebo vates:

Quem tumulum Nili, quem Tybridis adluat unda
Quaeritur, et ducibus tantum de funere pugna est.

deorum igitur immortalium numine statutum erat, ut his temporibus Romana libertas labaret, aliquot post annis prorsus ruitura. Quare VI, 784. lugent Camilli, Deciorum et Curiorum venerandi manes:

Tristis felicibus umbris
Vultus erat: vidi Decios, natumque patremque,
Lustrales bellis animas, flentemque Camillum
Et Curios.

Pompeio legum et rei publicae ultori comites adduntur Cato et Brutus, veneranda illa libertatis propugnacula. Neque incassum libr. II. nominati sunt, cum Brutus apud Pharsalum sub Pompeio, sua tantum virtute insignis dimicet (cf. VII, 586), Cato post Pompeium trucidatum ducis vice functurus sit. De quo jam monuimus.

Res in Pharsalia enarratae, quae unum absolutum corpus efficiunt, sunt

*) Saepe cum tot putida in latine scriptis libellis legerem, videbatur mihi sermo latinus, ut de epistola Cicero ait, non erubescere.

Rubicon a Caesare traiectus, Domitius cum suis Corfinii domitus, Pompeii Brundisio in Epirum fuga, Roma a Catone occupata, copiae in Hispania devictae, in Pompeium ipsum per Thessalicos campos impetus factus; Pompeius victus, profugus, Phariis perfide trucidatus, ac denique Magni caput a percussoribus Caesari oblatum. Quae res vix supra annum durantes haud difficulter consociari ac perspici possunt. Etiam ita comparatae sunt, ut lectores partim ad fortia, partim ad pulcra et honesta impellant. Caesar enim, quamvis patriae hostis, animis generosis et acribus eminent, atque ubique amor patriae ac defensio libertatis commendantur. Deinde in suo carmine monstrat nobis poeta numen aeternum, quod rerum ortum et interitum, libertatis aut tyrannorum dominatum imperat. Ac I, 70 et seqq. 81. et seq. significatur civitates, cum ad summum magnitudinis et potentiae devenerint, praecipites fieri et in perniciem ruere. Multum autem carmini dignitatis et ponderis poeta noster addidisset, si posuisset decretum a diis esse, liberos Romanos fore, quoad pie et parce viverent. Quod profecto vere dixisset et longe ante has res actas praesagire potuisset. Ea enim est omnis rei publicae conditio — eam dico rem, quam populus administrat — ut simul ac libertate indigna fit, eam statim amittat. His vero temporibus Romana fides et Romana virtus labefacta erat. „Nuper, ait Livius praefat. divitiae avaritiam, et abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere.“ Et ibid. paulo superius. „Donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est.“ Quae eo luxuriae et inertiae devenit res publica, eam subigi necesse est, vereque de rebus Romanis horum temporum Cl. Montesquieu in scripto: *Consid. sur les causes etc. cap. II. si César et Pompée avoient pensé comme Caton, d'autres auroient pensé comme firent César et Pompée; et la république, destinée à périr, auroit été entraînée au précipice par une autre main. De libertate Graecorum ultimis temporibus vel a Philippo, vel ab alio quovis opprimenda vide Prolegomen. nostr. in Isocrat. Philippic p. 27. et seqq. Hactenus de Pharsaliae argumento et fine. Ad partes nunc et colorem carminis transeamus.*

Ante omnia merito reprehendas argumentum carminis male signatum.

Verbis enim: *bella per Emathios campos* aliquid ambigui inest *) eaque, cum carmen imperfectum sit, de duobus bellis a Lucano canendis nonnulli interpretati sunt. Deinde locutionem *plus quam civilia* in expositione argumenti, ubi sua cuique voci certa et perspicua vis esse debet, quis probet? De hac ita Hermannus Commentat. de trag. et ep. poes. pag. 209. „Qui dixit:

Bella per Emathios plus quam civilia campos,

nihil dixit poeticum. Quanquam enim plus quam civilia bella intelligimus, quae gravius quiddam et atrocius sunt, quam civilia, non habemus tamen qualia ea esse dicamus, quia quid non sint, non quid sint, indicat. Quid vellet intelligi, paulo post dixit: *cognatasque acies*, quod melius fortasse et maiore cum vi dixisset, *fraternasque acies.*“ At in quoque prope bello civili cognati, interdum etiam fraterni milites, in se mutuo dimicant. De quo Cf. Burmannus ad hunc loc. Ergo hanc ob causam id bellum, *plusquam civile* vel *prioribus civilibus bellis saevius* dici non potuit. Equidem, iis, quae Burmannus et Ieverus disputant inspectis, rem sic expono. In hoc bello non modo cives divisi se invicem, ut fit, opprimere student, sed quod gravius est, Caesar libertatem et imperium legum evertere conatur. Est igitur hoc bellum *plus quam civile*; imo est dimicatio inter cives liberos et eum qui tyrannidem in eos affectat. Ac belle hac interpretatione cohaerent versus:

Bella per Emathios plus quam civilia campos,

et voces:

iusque datum sceleri canimus,

*) Vocem: *bella* vel de uno proelio dici posse docent Lucani VII, 533.

Sed hinc iugulis, hinc ferro *bella* geruntur.

Ibid. 543. Non illic regum auxiliis collecta iuventus

Bella gerit.

Eodem sensu usurpatum esse videtur ibid. v. 526.

Praecipites fecere palam, civilia bella

Non bene barbaricis unquam commissa catervis.

Vel si carmen absolvisset Lucanus, vituperandum esset hoc initium, cum lectorem ex principio ipso id, quod poeta describere sibi proponat, videre opus sit.

Ad locum huic Nostri respexisse videtur Florus Epitom. Rer. Romanar. IV, 2. „Caesaris furor, inquit, atque Pompeii urbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique, qua patebat, imperium quoddam quasi diluvio et inflammatione corripuit; adeo ut non recte tantum *civile* dicatur, ac ne *sociale* quidem, nec *externum*, sed potius *commune* quoddam ex omnibus et *plus quam bellum*.“ Verum prooemium hoc totum apponamus:

Bella per Emathios plus quam civilia campos
 Iusque datum sceleri canimus, populumque potentem
 In sua victrici conversum viscera dextra,
 Cognatasque acies; et, rupto foedere regni,
 Certatum totis concussi viribus orbis
 In commune nefas; infestisque obvia signis
 Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.

De ultimo versu, mira somniavit Ieverus, qui non vidit pares aquilas, *oppositionem*, ut Grammatici dicunt, vocis: *signa* esse. Signa enim in hostem illata, erant aquilae, pares alterius aciei signis *)

*) De diversis totius legionis et cohortium singularum signis (aquila scilicet legionis universae signum fuit) hic poeta cogitare non potuit, cum vel in minoribus illis haerens, aut quaenam haec signa cohortium fuissent, dicere, aut epithetum: *Romana* ut I, 244, addere debuisset. In hoc scilicet versatur poeta, ut declaret signa Romana signis Romanis opposita esse; quare nuncupat aquilas, atque ut res adhuc magis perspicua fiat, subiicit *pila*, quae Romanorum sunt, ut gaesa Gallorum, sarissae Macedonum. Nostram sententiam, confirmat ratio, qua haec verba coniunxit Fronto de Oration. libr. II. part. I. p. 249. ed. Francofurt. Postquam enim Lucani abundantiam carpens, verba: *infestis obvia signis signa* (sic enim codex habet; *signa* Maius omisit) tanquam quintam sententiam, quae unum fere sonet, laudavit, voces: *signa, pares aquilas* sextam, ut ait Herculis aerumnam, affert. Ceterum is Frontonis locus cum aliis in palimpsestis a Maio feliciter detectus, hoc Pharsaliae initium genuinum esse manifestum facit.

His missis, progrediamur ad id, quod in epicis carminibus magni momenti est, opem deorum scilicet et religiones. Ad commovendos animos eae summopere in epica poesi religiones valuerunt, quibus et populus et poeta ipse fidem habuit. Atque apud Homerum dii religionesque ita cum carminibus cohaerent, ut qui illas ab his seiungeret, corpus et animum discindere videretur. Aliter Virgilio carmen se habet. Ibi multa de Diis exponit poeta, quibus ipse nullam fidem habuisse manifestum. Movitne lectores Romanos descriptio Acherontis, qui Aeneid. VI, 296.

Turbidus hic coeno vastaque voragine gurgēs
 Aestuat, atque omnem Cocyto eructat arenam,
 postquam Georgic. II, 490 protulerat scriptor:
 Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
 Atque metus omnis et inexorabile fatum
 Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari!
 Cautane porro est quaestio illa vatis Mantuani
 Tantaene animis coelestibus irae?

Certe quia studio et ira dii Romanorum et Graecorum agebant, in poesin epicam omnino quadraverunt. Sed simul ac poeta ipse cur iracunda essent numina mirans quaesivit, religione manifesto lapsa, momentum quoque eorum ad movendos homines in carminibus extenuari oportebat. Post Augusti vero tempora metus antiquorum deorum prorsus in praeceptis abiit. Disiecti sunt de solio suo Iupiter, Mars ceterique urbis salvatores et praesides. At populus, ne diis careret, multitudine religionum externarum recepta, in superstitionibus foedis versatus est. De quo inter alios scriptores conferatur Iuvenalis sat. VI, v. 608 et seqq. De his rebus eleganter, ut solet, disseruit Beniam. Constant. in scripto: De la religion considér. etc. libr. I, cap. 2. Ac de Nerone Suetonius Neron. vit. cap. 56. „Religionum usquequaque contemptor praeter unius Deae Syriae. Hanc ita sprexit ut urina contaminaret, alia superstitione captus, in qua sola pertinacissime haesit.“

Iam videri potest, quam parum Noster, si Iove, Iunone aliisque Saturniis diis Lucanus usus esset, cives movisset. Inde etiam apparet, quam inepte poeta

recentior vel antiquis Diis in carmine epico vel argumento in quo antiqui illi Graecorum et Romanorum Dii necessario inducendi essent, uteretur. De talibus carminibus vere dici possent quae Fred. Schlegel. in scripto die Griechen und Römer pag. 200 de recentioris epicae poesis forma in universum profert: Nur weil die epische Poesie der Griechen im mythischen Zeitalter eine so hohe Blüte erreicht hatte, haben selbst die epischen Kunststücke der Alexandriner und Römer doch noch einigen Grund und Boden. Die modernen Epoden hingegen schweben ohne allen Gehalt isolirt im leeren Raume.

Ut illuc redeam, religionibus illis recentioribus plerumque dignitas deerat. Deinde tam frequenter mutabantur, ut vix ullam epicus poeta tanquam firmam et stabilem in carmine posset adhibere. Quid igitur Lucanus? Unam superstitionem, quae illis potissimum temporibus obtinebat, usurpavit. Vaticinandi ars nimirum ea aetate vigeat, innumeraque *divinorum*, haruspicum scilicet, mathematicorum *) et id genus virorum collegia erant. De quibus inter alios viros doctos cf. Scaliger indic. ad Gruter. Ac de Tiberio Sueton. cap. 69: „Circa Deos ac religiones negligentior, quippe addictus mathematicae persuasionisque plenus, cuncta fato agi.“ De mathematicis rursus Tacit. Histor. I, 22. „Mathematici genus hominum petentibus insidum sperantibus fallax in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur.“ Tuscus igitur in Pharsalia advocatur vates, qui post lustrum peractum et victimae mactatae fibras inspectas mala futura quanquam per ambages praesagit. Magis perspicue Figulus Astrologus ibid. v. 666. et seqq. Disertis verbis Pompeii caedem et cladem ad Philippos memorat matrona, quam Deus ad vaticinium urget ibid. 678 et seqq. Eodem pertinent ea quae Erichtho maga Thessala, ut cadaver ad futura edicenda suscitet, Sexto Pompeio auctore agit VI, 624 et seqq. Deinde carminis initio Lucanus Neronem magis quam Apollinem aut Bacchum invocat I, 63.

Sed mihi iam numen: nec, si te pectore vates
Accipiam, Cirrhaea velim secreta monentem

*) Plerumque *Mathematicus* apud scriptores istius aetatis et apud ipsum Ciceronem *Chaldaicum* vel *Astrologum* sonat, eum scilicet qui ex positione stellarum futura se cognoscere profitetur.

Sollicitare Deum, Bacchumque *) avertere Nysa :

Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.

Sed imago vere poetica, quam non Saturniis Diis Noster debet, est Patria
Caesari Rubiconem traiecturo apparens. Locus est I, 185.

Ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,
Ingens visa duci patriae trepidantis imago,
Clara per obscuram vultu moestissima noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,
Caesarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permista loqui!

Post quae praeter morem nimis pauca nostra sententia, Genium patriae lo-
quentem inducit :

Quo tenditis ultra ?

Quo fertis mea signa, viri ? si iure venitis,
Si cives, hucusque licet.

Denique III, 399. dum certamen ad Massiliam exponit, unum ex Gallicis
lucis describit, quos a Diis habitari harum regionum incolae credebant. V. 402.

Hunc non ruricolae Panes nemorumque potentes
Silvani Nymphaeaeque tenent, sed barbara ritu
Sacra Deum, structae sacris feralibus arae ;
Omnis et humanis lustrata cruoribus arbos etc. **)

*) Hic quoque locus argumento est Bacchum a poetis, etiam cum vinum non de-
cantarent, invocatum esse. Ac non solum laurus sed etiam hedera cum poetis
tum litteratis in universum proemio donata fuit. Horat. Epistol. 1, 3, 23.

Seu linguam causis acuis, seu civica iura
Respondere paras, seu condis amabile carmen,
Prima feres hederæ victricis praemia.

et Carm. I, 1, 29.

Me doctarum hederæ praemia frontium
Dis miscent superis.

ubi vide Mitscherlich.

**) Ipse Caesar Bell. Gall. VI, 16. „Natio est omnis Gallorum admodum dedita
religionibus : atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis,

Nunc ad naturam et indolem heroum in carmine epico significatam transeamus.

In poesi epica ante omnia incumbendum, ut viri, qui in ea describuntur, et generose agant et sibi constant. Ante alios apud Homerum conspicuus ille Achilles omnibus et corporis et animi, ut tum tempora erant, virtutibus praestans. Sua Menelao, sua Agamemnoni, sua aliis heroibus certa est natura et indoles. In Turni indole delineanda satis, in Aenea designandō minus feliciter Virgilius versatus est. At excellit in Mezentio illo, deum contemptore, depingendo, quem ita ostendit ut intueri eum, non de eo audire sibi lector videatur. Quod cum epici poetae tum narrantis in uniuersum scriptoris summum elogium. Praestantissimis sane poesis antiquae locis annumerandi sunt versus Aeneid X, 855.

Nunc vivo! neque adhuc homines lucemque relinquo!
Sed linguam. Simul hoc dicens adtollit in aegrum
Se femur; et, quanquam vis alto volnere tardat,
Haud deiectus, equum duci iubet. Hoc decus illi, etc. *)

quique in praeliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent administrisque ad ea sacrificia druidibus utuntur; quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium numen placari arbitrantur.“

*) Hic locus vi potissimum ac gravitate praestat, Romanis vere, sive gentem, sive sermonem spectes, virtutibus. Ut Iuuenalis pulcras et prorsus tragicas satiras omittam, vel apud Horatium praestantissimi loci sunt ii, qui gravitate et robore quodam conspicui sunt. Ut Sat. I, 6,38.

Tunc Syri, Damae, aut Dionysi filius, audes
Deicere e saxo cives, aut tradere Cadmo?

Et Satir. II, 2, 103.

Cur eget indignus quisquam, te divite? quare
Templa ruunt antiqua Deum? Cur, improbe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?

Et Epist. I, 16, 73:

Vir bonus et sapiens audebit dicere: Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? etc.

Inter recentiores quam belle, quam vivide lectoris ingenio suos heroes offert Italus ille poeta, qui latinis fere verbis *l'arme pietose* cantat atque a barbarorum ditione liberatum *il gran sepolcro di Cristo*. Omnibus ibi imaginibus et verbis vis quaedam magica afflata est, quae lectorem detinet ac perpetuo recreat. In Pharsalia vero nostra quam incertis lineamentis Caesar et Brutus, ante alios Pompeius descripti sunt! in exponendis natura et dotibus eorum, quam parum vigoris et roboris! Certe Pompeius ille qui I, 131. *pace dedidicit ducem et totus popularibus auris impellitur*, non is est, qui magnam sui expectationem moveat. Adde II, 598.

Sensit et ipse metum Magnus; placuitque referri
Signa, nec in tantae discrimina mittere pugnae
Iam victum fama non visi Caesaris agmen.

Et VII, 339.

Stat corde gelato

Attonitus: tantoque duci sic arma timere
Omen erat.

Nonne, dum incertus et trepidus Caesaris ante legiones fugit et adversario totam Italiam relinquit, miserationem magis quam admirationem excitat? Quid Caesar? Audaciorem profecto ferocioremque sese extollit; atque I, 143: *Sed non in Caesare etc.* strenuus dux et vir tenax propositi signatur. Verum, quibus ad naturam eius finiendam utitur, ea potius in orationibus quam in ceteris carminis partibus reperjas. Huc faciunt loci I, 299. II, 494. III, 91 et 358. IV, 162. V, 319 et 654. VII, 250. et X, 1064. Hae autem orationes, ita comparatae sunt, ut nonnullis quidem in locis Caesaris interiores sensus patefaciant, non ut quemadmodum vixit et vidit, eum animo lectoris offerant. Quam diversae Homeri orationes! quantum hac virtute eminent primus Iliadis cantus! vix nonnulla verba Achilles et Agamemnon fecerunt, cum eos intueri nobis videmur. In his autem Lucani orationibus poeta potius quam persona, quam inducit, sensus suos aperit. Verum haec nos adducunt, ut de orationis Lucani dotibus in universum inquiramus.

Sapienter Aristoteles de poesi epica Art. poet. Cap. XXIV. „Omnino narrans imitatio ceteris abundantior est.“ Etenim et sermonibus virorum et descriptione et expositione rei fit. Imitatione epica inter ceteros excellit Homerus. In Homericis carminibus vix aliquid legitur, quod non imaginem animo praebeat. Ac primum multa vocabulo apposito belle signantur. Dicitur aurora vel *cum-aureis-digitis*, vel *in-aureo-solio*, nox *tenebrosa*, mare vel *vastum*, vel *sterile*, vel *immensum*, terra est vel *immensa*, vel *ferax*, vel *frumentum-ferens*, aqua est *pulcre-fluens*, vinum *dulce* vel *mellitum*; aqua maris est modo *sonora*, modo *caesia*, vel colore *vinum referens*, Iupiter est *vehementer-sonans*, vel *fulmine-gaudens* etc. Deinde Heroum, cum agentes inducuntur, habitus et motus corporis egregie significari solent. Iliad. IX, 192.

Illi autem processerunt, praeivit autem Ulysses
Ac pro eo stabant. Mirans surrexit Achilles
Lyram manu tenens, et linquens sellam in qua sedebat;
Pariterque surrexit Patroclus, cum vidit homines.

Ibid. I, 348.

Achilles autem
Plorans procul sociis et segregatus sedet
In littore, maris pulli, aspiciens in nigrum pontum
Multaque matri carae oravit, manus intendens.

Et Odysse. XVI, II.

Nondum totus dictus erat sermo, quum ei dilectus filius
Stetit in vestibulis; percussus autem prosiliit subulcus,
Atque ex eius manibus ceciderunt vasa, quibus utebatur,
Miscens generosum vinum. Ipse vero obvius ivit hero,
Osculatusque est ipsi caputque et ambo lumina pulcra
Manusque albas; uber autem ei excidit lacryma.

Virgilius, quanquam in universum *enargeia* illi HomERICA deest, in descriptione et enarratione feliciter plerumque versatur. Eminent praecipue in animi motibus vel per orationem eius, quem loquentem facit, declarandis; ita Iuno Aeneid. I, 37.

Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem!
Quippe vetor fatis! Pallasne exurere classem etc.

vel per singula vocabula in ipsa narratione signandis, ut initio libri IV.

At regina, gravi iam dudum *saucia* cura,
Volnus alit venis, et *caeco* carpitur igni, etc.

In his locis poeta agnoscitur, qui si Romana vi in hoc Pharsaliae argumento versatus esset, pro stanno isto Cordubensi aurum et gemmas certe dedisset.

Pharsaliae nota una est rigor quidam quo sententiae non suoapte fluunt, sed operose conglutinatae esse videntur. Quare Lucani poesi deest id, quod narrantis carminis ante omnia proprium esse debet, lucida illa, rebus et personis apta oratio. Quod iudicium unusquisque Pharsaliae liber potest confirmare; ac si locus V, 513. in universum eum, qui conveniens est, colorem habet, et versus V, 526.

Securus belli praedam civilibus armis
Scit non esse casas. O vitae tuta facultas
Pauperis, angustique lares!

ipsa simplicitate nitent, omnia mox perturbat Noster has iactans ampullas:

O munera nondum
Intellecta Deum! quibus hoc contingere templis,
Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu,
Caesarea pulsante manu?

Ac Caesar porro tumido nautam compellans ore:

Exspecta votis maiora modestis etc.

Excelsum, frigidum et ridiculum de Pompeio Noster mire miscuit VII, 668 et seqq. Excelsum enim dicit et magnum, dum narrat Pompeium, cum cladem suam sensisset, milites dimicare pergentes, ne frustra sanguis flueret, revocasse, v. 668. Cum his congruit v. 658. „Parcite superi, cunctas prosternere gentes:“ Claudicant deinde versus, quibus causam, cur Pompeius in arma et hostes ruat, exponere studet 669. et seqq. Ridiculi denique versus 677. et seqq.

Tunc Magnum *concitus* aufert

A bello sonipes, non *tergo* tela *paventem*.

Alterum Lucani vitium est inanis abundantia, quae sophistam vel rabulam magis quam poetam, cuius os *magna*, non *multa*, sonare opus est, refert. Exemplum praebet locus in quo Caesarem describere studet I, 144. Postquam enim satis significanter dixit :

Sed nescia virtus

Stare loco: solusque pudor non vincere bello.

Acer et indomitus, quo spes, quoque ira vocasset,

Ferre manum, et nunquam temerando parcere ferro.

Omnia versibus his, idem fere sonantibus, eluit:

Successus urguere suos, instare favori

Numinis, impellens quidquid sibi summa petenti

Obstaret, gaudensque viam fecisse ruina.

Eodem vitio laborant I, 24.

Semirutis pendent quod moenia tectis

Et:

Lapsisque *ingentia* muris

Saxa iacent.

Quibus si non idem, certe nihil novum poeta dicit, cum, si pendeant moenia i. e. partim diruta sint, nil mirum saxa *ingentia* iuxta iacere *). Haec vitia,

*) Quanquam Lucanus non sic omnia, ut Ovidius recoquit, neque apud eum versus, quales nobilis ille.

Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto, plura tamen sic diffundit, ut nihil lectori, de quo cogitet relinquat. Ac Fronto de Oration. p. 250. ed. laudat. ob verbosum prooemium Lucano succensens: „Annace quis finis erit? Aut si nullus finis neque modus servandus est, cur non addis et similes lituos? Addas licet et carmina nota tubarum, sed et loricas et conos et enses et balteos et omnem armorum suppellectilem sequere. Idem de id genus scriptoribus p. 247. „Primum illud in isto genere dicendi vitium turpissimum quod eandem sententiam milliens alio atque alio amictu indutam referunt.“ Et paullo inferius. „Ita isti unam eandemque sententiam multimodis faciunt, ventilant, commutant, convertunt, eadem lacinia salutant, reflicant saepius quam puellae olfactoriae sucina.“

Impetuositas scilicet et durities *) et in descriptione et in orationibus et in narratione conspiciuntur. Descriptio multa perit, quod poeta caedem Pharsalicam in carmine noluit depingere; VII, 552.

Hanc fuge, mens, partem belli tenebrisque relinque,
Nullaque tantorum discat, me vate, malorum,
Quam multum bellis liceat civilibus, aetas.
Ah potius pereant lacrymae, pereantque querelae!
Quidquid in hac acie gessisti. Roma, tacebo.

At parum sibi constans id, quod certatum est apud Massiliam, ita descripsit, ut insolita dicere laborans, ridenda ederet. Sic III, 587.

Terga simul pariter missis et pectore telis
Transigitur (Tagus) medio concurrat pectore ferrum,
Et stetit incertus flueret quo vulnere sanguis,
Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas,
Divisitque animam sparsitque in vulnera letum.

Adde ibid. v. 625 de altero Cynegiro, cui cum utraque manus abscissa esset, Sanguine et hostilem, defectis robore membris,
Insiluit, solo nociturus pondere puppim.

Adde 640, 652 et seqq.

In comparationibus, quod genus descriptionis altius est, videtur eo incubuisse Lucanus ut minus trita quam bellatorem leoni aut lupo rapaci vel virorum copiam apibus collatam etc. proferret **). Neque sic, ut Homerus et Virgilius, quae ornamentum causa tantum adscita nihil ad comparationem faciant, exponere solet. Verum, nedum in omnibus laudandus sit, in quaque fere aliquid claudicat. Ita Libr. IV. bellum in Hispania per aliquod tempus cessat; milites et Caesaris

*) Durum (daß Harte, Steife, rigor) in litteris et artibus molli (dem Leichten, Anmuthigen) opponi solet.

***) Mire cum Cyclopiibus apes comparat Maro in nobili loco Georg. IV, 176, et oportune quidem ait: *si parva licet componere magnis.*

et Pompeii discordiae obliti, genio simul indulgent atque inter convivia certamina sua et pericula narrant, eum ferox Petreius, qui familiam armavit, eos disturbat et ad proelia caedemque revocat. Quibus expositis hac comparatione poeta utitur v. 237.

Sic ubi desuetæ silvis in carcere clauso
Mansuevere ferae et vultus posuere minaces,
Atque hominem didicere pati, si torrida parvus
Venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque etc.

at haec male cohaerent cum praecedentibus:

Sic fatur et omnes
Concussit mentes, scelerumque reduxit amorem;

cum illic de sanguine; hic de tumultu verbis moto (verà tamen causa sanguis effusus fuit cf. v. 210.) mentio fiat. Deinde comparationis pars posterior iusta est et pulchra, non ita prior. Consuetudinem enim de militibus Romanis exiguitas temporis excludit.

Comparatio I, 100.

Sola futuri

Crassus erat belli medius mora. Qualiter undas
Qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum, si terra recedat,
Ionium Aegaeo frangat mare; sic ubi saeva etc.

vera non est, ruunt enim in se fluctus duorum marium, sed ut consociati unum tantum mare efficiant.

Comparationi I, 136.

Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias veteres populi, sacrataque gestans
Dona dueum; nec iam validis radicibus haerens,
Pondere fixa suo est; nudosque per aëra ramos
Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram;

deest perspicuitas, quae summa in comparationibus lex est. Heinsius teste Bur-

manno *umbram* efficere hic idem esse ac *invidiam* facere censet. Verum hoc sensu *umbram* efficere vel *facere* vix apud scriptores antiquos reperias *). Deinde umbra arboris, non ut invidiosum sed dulce aliquid vel utile signetur, usurpari solet **); quem sensum huic quoque loco tribuo. Sententia est: praesidium et opem praebet non foliis i. e. iuventa et robore, sed dignitate et auctoritate, quas rebus antea gestis sibi conciliavit.

De orationibus, iis de quibus prius monuimus, unum tantum addemus. Libr. II, 530, suas ad Corfinium Pompeius copias alloquitur. Sententias quae ibi per 65 versus repunt, dux nostrae aetatis his fere verbis conclusisset:

„Scelerum, quae Catilinae ac Cethegi rabiem referunt, vobis, commilitones, senatus vindictam demandavit. Ad Cinnas et Marios descendens Caesar patriae fines invasit. Gallica iactans bella Italiam aggreditur is, qui Rheni fugit undas, Britannorumque aspectum sustinere non valuit. At vos et me male novit, milites. Vester dux, qui Mithridatem et Cilices et Cappadoces et Arabas et Colchos et Heniochos et Tauros et Armenios domuit, ac nihil Caesari nisi bellum civile reliquit, nunc quoque, quamvis aetate provectus, pilum vobiscum strenue torquet. Agedum in scelestam aciem impetum demus; signa movete, commilitones; haec tessara: vae Caesari hosti patriae! per omnes ordines provolet.“

Iam haec tot verbis eluit Lucanus, ut qui his temporibus sic diceret, militum ardorem potius restingueret quam incitaret. Neque post tam frigidam orationem mirum aliquid habet quod sequitur:

Verba ducis nullo partes clamore sequuntur,
Nec matura petunt promissae classica pugnae etc.

*) Alius generis est locus Sili Italici XIV, 282.

Et Salaminiacis quantam Eoisque Tropaeis

Ingenio portus urbs invia fecerit *umbram*.

ubi *umbram* facere, non adhibita comparatione cum arbore, laudem minuere significat.

***) *Efficere* hic de umbra arboris ut *facere* Georgic. II, 57.

Iam, quae seminibus iactis, se sustulit arbos,

Tarda venit, seris *factura* nepotibus *umbram*.

Igitur etiam in orationibus, nequaquam ut de Nostro in univēsum ait Quintilianus, oratoribus sed potius rhetoribus vel sophistis rhetoricis annumerandus est.

In narrando lentam et duram Nostri rationem intueri qui vult, decimum librum Pharsaliae adeat, in quo Catonis iter per Africae desertas et inhospitas regiones describitur. Lector, qui certi quid et perspicui de fati Catoniani exercitus percipere gestit, vel inanibus usque pascitur vel dimidiam rei et obscuram semper imaginem habet. A poeta, qui tam ieiuno et tam parum perspicuo narrandi genere utitur, certe episodica non desiderantur. Nonnulla tamen sed parum feliciter inseruit, quorum Marciae cum Bruto connubium quomodo cum ceteris coliaereat, equidem non video.

De Lucani poesi in univēsum monenda haec supersunt. Carminum, si scriptoris operam consideras, varia sunt genera. Alia sic sponte fluunt, rebus, ut fieri solent, descriptis, ut vix ullum *artificis* et *scriptoris* vestigium appareat. Huc refer cantus Homericos. In aliis *scriptor*, nempe is, qui *certum in finem res disponit*, partim conspicitur; puta Romanorum et Chartaginiensium bella morte Didonis in Aeneide parata. Ad tertium genus pertinent carmina, in quibus *ubique* poeta perspicitur, et res, quasi *divinioris* et *altioris* mentis foret, scriptor exponit et iudicat. Quae ratio multum difficultatis habet. Si enim trita ac vulgaria lectori, qui praeclara expectat, proponuntur, fastidium eius, non miratio movebitur. Hoc magnum Lucani vitium est, quod poeta plerumque at raro is, cui mens *divinior* sit, in scriptis eius deprehenditur. Tertii huius carminum generis liceat nobis afferre exemplum poetae illius, qui et sidibus fortes modulari cantus et gladio sicarios Graecorum terrere scivit. Locus est carminis, quod inscribitur the age of Bronze *) Strophi. III. Ibi de Napoleone quem tum suis custodibus rapuerant fata, mentio est. Latine versus illos sublimes pro viribus interpretari conabor:

*) Hos versus non ex epico carmine desumptos esse nihil ad rem facit, sed si carmen narrans et describens exemplo esse malis, in carmine quod inscribitur Chille Harold similes haud difficulter locos reperies.

„Verum ubi nunc heros ille recens, Alexandro validior, qui rex ipse haud genitus, reges subiecit currui? Ubi nunc propugnator et filius magnitudinis omnis et exiguitatis, sapientiae et furoris? Ubinam, qui regna et imperia ludens in terra, qua tabula utebatur, ossa humana pro talis iecit?“

„In oceano contiñere dominatorem affixum rupi, ac prout natura tua fert, vel fletum ede, vel risum; fletum, dum cancellos rodentem mansionis aquilam minacem vides; risum, dum parvas de parvis lites, ob cibum et vinum, movet. Hicne qui reges vel beatos vel miseros suo reddebat numine etc.?“

Uno quoque verbo lectorem hic motum de multis cogitare opus est, dum in *Lucaneis* aut *Ovidianis* *) illis mens et animus torpet. Non omnia tamen apud Lucanum icrua sunt et horrida; plura quidem nitent, sed ut stellae per caliginosum coelum. His quos in hac disputatione laudavimus, haud contemnendis locis addi possunt II, 1—7; *ibid.* 84—97. III, 220 et 221; *ibid.* 303, 390 et 391. IV, 11 et seqq.; *ibid.* v. 807 usque ad fin. V. 621 et seqq.

*) Cur Ovidius poeta plurimum frigidus interdum etiam ineptus, ut in libr. XIV. *Lapith. et Centaur. Certam.*, in scholis adhuc decantetur, equidem non video. Sententiae Ovidianae plerumque eae sunt, ut nemo his temporibus ita cogitare vel dicere velit. Atqui permagni refert, ut iuvenes eos vel prosae orationis vel carminum legant scriptores, quorum sententiis latine vel loquendo vel scribendo uti queant. De ratione, qua iuventus in puro et emendato latine scribendi genere sit, instituenda in scripto menstruo: *Niederrhein. Monatschr. für Erzieh.* etc. Ian. et Mart. huiusce anni fascicul. nonnulla disputavi. Turpis inscitiae linguae latinae, quae etiam in viris, qui multos per annos latino sermone vel scriptura vel ore usi sunt, reperitur, causa praecipua vitium est illud, quod Quintilianus de dialectis promiscue usurpatis *coenismos* dicit. Illi nimirum viri non unius, non aureae vel argenteae sed *ferreae, plumbeae*, imo *luteae* aetatis voces vane permiscent. Saepe fit etiam ut barbarae aetatis sordes melius quam aureae gemmas noverint. Quare has negligentes, illas continuo usurpantes in barbariem magis ac magis decidunt, munditiarum sermonis sensu denique prorsus destituti. Nil mirum tales viros, cum quid sit latinum quid non discernere velint, turpiter errare peritorumque movere cachinnos.

VI, 395 et seqq. VII, 7—44; ibid. 47—50; ibid. v. 597 et seqq. VIII, 41 et seqq.; ibid. v. 603 et seqq.; 663 et seqq.; 795—816.; 831. et seqq. IX, 1043—46. X, 146 et seqq. Haec tamen ita comparata sunt, ut una plerumque sententia, unus etiam saepe versus, sententiarum raro series vel candore vel granditate vel alia quadam virtute emineat. Investigationis nostrae iam absolutae summa capita lectori nunc offeramus.

I. Pharsalia, qualis hodie circumfertur, non est perfecta; at novem priores libri per se corpus quoddam efficiunt.

II. Materia novem horum librorum, sive res, sive tempus eorum intueris, cum iis, quae poesis epica postulat, congruit.

III. Argumentum Pharsaliae est *imperium hominis imperio legum* potentius factum.

IV. Ob religiones priscas in carmine omissas laudem potius quam vituperationem Lucanus meretur.

V. Heroes Pharsaliae, incerte ac male sunt delineati.

VI. De dicendi genere haec statuimus.

- a) Vel cum alias personas loquentes Lucanus inducit, *poeta* semper et *artifex*, at raro is, qui *magna* sonat, reprehenditur.
- b) Dicendi generi in universum sententiarum luciditas et mollities verborum deest.
- c) In narratione Noster languidus, in orationibus iusto plus longus, in descriptione parum accuratus, in comparationibus novi appetens at non semper verus.
- d) Vel in orationibus non oratoribus, ut de tota Lucani opera ait Quintilianus, sed rhetoribus potius vel sophistis annumerandus est.
- e) Sententiae interdum vel versus singuli, totus raro sententiarum ordo, virtutibus nitet.

His absolutis, transeamus ad ea, quae hanc de Lucano disputationem adduxerunt. In bibliotheca nostra scilicet latebant partes Pharsaliae, quas Cl.

Wyttenbachius; huius Gymnasii *director*, casu detexit. Cum enim nescio ad quem finem libros quosdam pios in usum monachorum conscriptos, evolveret, ecce in tegumine libri cuiusdam inscripti: *Epithoma expositionis Canonis missae magistri Gabrielis Biel sacre theologiæ licentiati* membrana quaedam ei apparuit, in qua mox Pharsaliae partes quasdam agnovit. Membranam hanc, quæ duodecimi saeculi esse videtur, Vir eruditus, mecum benigne communicavit. Qua cum editione Burmanni collata, varietatem lectionis, quam offert; evulgare haud inutile duxi.

Partes quæ ibi reperiuntur sunt V, 663—702. Ibid. 706—747. VI, 304—345. Ibid. 352—390. Ibid. 490—503. Ibid. 532—549. VII, 367—384. Ibid. 416—429.

V, 667. Burmannus: Stygias et consul ad umbras; ita Cod. Trev. cum supra scripta lectione: ad undas. — 672. Supra vocem: decimus habet noster Codex scholiolum: *validus*. — 696. Sufficit ad fatum belli; Tr. ad summam belli cum supra scripta lectione: ad fatum. 698. hinc usus; Tr. hic ne usus.

V, 709. Venti velique; Trev. veli ventique. — 713. Ad verbum figuras habet Noster interpretamentum: *litteras*. — 716. Vox dispersis habet interpretamentum: *inordinatis*. — 722. Supra lectionem collatis Trev. collectis. — 727. Aequas interpretatur Trev. *aeque se diligentes*. 728. iusta venus interpretatur Trev.: *maritalis*. — 730. Supra vocem: quo habet Trev. verba: *sub ictu*. — 739. Vita non nunc mihi; Trev. non nunc mihi vita. — 747. Satis est audisse pericula Magni; Trev. satis est Magni audisse pericla. (Legit, ut videtur, librarius: Magni satis esse audisse pericla).

VI, 311. Nee sancto caruisset vita Catone; Noster supra: *Enallage* — 318. hortate patrias sedes; Trev. hortantur patr. sed. — 321. Me, nisi dimisso; Trev. remisso cum interpretamento supra: *remoto a me* et lectione ad marginem: dimisso. — 337. rabidique leonis; Trev. rapidi. — 339. Voci Iapyga inest scholiolum: *collateralem ventum Zephyri*.

VI, 352. Pteleos; Tr. Theleos. — 354. Moeliboea pharetris; Tr. Moel. sagittis cum lectione: pharetris superposita. — 364. Evenos Calydonæ; Tr. Evenus Cal. cum supra scripta lect. Evenos. — 384. solum rupere; Tr. solum tregere. Inde

patet pravam esse lectionem Rottend. pr. tenuere. — 388, Monyche; Tr. Monice. — 390. inverteret; Tr. everteret.

VI, 539. Et tracta durescunt tabe medullae corpora. Ad-marginem, recisum, ut involucrum libro aptaretur, legitur: *scunt q balsamo*. Quod certe est: durescunt quoque balsamo, scholiolum scilicet candidi cuiusdam lectoris, ut apud Ciceronem Orator. 18, 57. *Dicit plura etiam Demosthenes illumque saepe dicit voce dulci et clara fuisse*; et Isoerat. de Pac. Cap. 39. fin. Edit. Nostr., quem locum uncis inclusimus. — 544. Super verbum: rumpit scriptum est: rapuit.

VII, v. 374. Credite qui nunc est populus; Noster: populum; sed recentiore manu ex primo literae m ductu s factum est.

VII, 421. Omnibus annis; Noster: omnibus armis cum supra scripta lectione: annis.
